# DISPUTATIO MEDICA

# INAUGURALIS,

DE

# SYNANCHE MALIGNA.

# *DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS,*

DE

# SYNANCHE MALIGNA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, S.S. T.P.

*ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;*

NECNON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu,

Et Nobilissimæ FACULTATIS MEDICAE Decreto

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

SAVAGESIUS DONOVAN,

HIBERNUS.

AD DIEM 12 SEPTEMBRIS, HORA LOCOQUE SOLITIS.

---

*Et, si in tanta scriptorum turba mea fama in obscuro sit, nobilitate ac magnitudine eorum, meo qui nomini officiunt, me consoler.* LIV. PRÆF.

---

EDINBURGI:

*CUM PRIVILEGIO.*

APUD ROBERTUM ALLAN:

M,DCC,XCVI.

PATRI DILECTISSIMO

SEMPERQUE COLENDO,

MORGANO DONOVAN

ARMIGERO,

HANC DISPUTATIONEM

STUDIORUM

PRIMITIAS,

PIETATIS

MONUMENTUM,

EA

QUA FILIUM DECET

REVERENTIA

D. D. CQUE

SAVAGESIUS DONOVAN.

CORRIGENDUM.

§ XLVII. lin. 12. *pro* subine *lege* subinde

# *DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS,*

DE

# SYNANCHE MALIGNA.

*SAUVAGESIO DONOVAN* AUCTORE.

§ I. QUONIAM cautum eſt almæ hujus academiæ legibus, ut unus alumnorum quisque, qui summos medicinæ honores petat, de re quadam ad medicinam pertinente, scribat quædam, quæ postea edita palam defendat, *synanchen* * *malignam* paucis persequi nobis constitutum est.

A II. Hunc

* Oportet primam hujus verbi syllabam scribi *syn*, non *cyn*. Vid. AUREL. CORNEL. CELS. *De Medicin.* Lib. IV. cap. iv.

II. Hunc (1.) morbum CULLENUS, morborum curatione pariter et dispositione præclarus, definit his verbis :—

"*Synanche* tonsillas et membranam faucium "mucosam afficiens tumore, rubore, et crustis "mucosis coloris albescentis vel cineritii, ser-"pentibus, et ulcera tegentibus; cum febre "*typhode* et *exanthematis* *."

III. Quanquam vetustiores scriptores *synanchen*, de qua disputare nobis in animo est, haudquaquam accuratè descripserunt, tamen est, quamobrem, iis non ignotam omnino fuisse, existimemus. De ea enim, re eâdem, nomine variâ, HIPPOCRATES †, CELSUS ‡, aliique vetusti auctores, districtè, confusè, et permistè scripserunt;

* Vid. CULLEN. *Synop. Nosolog. Method.* Gen. X. Spec. II.

† Vid. HIPPOCRAT. *Oper.* Lib. II. sect. v. *De Angin.*

‡ Vid. CELS. *de Medicin.* Lib. IV. cap. iv.

serunt; neque dubitari potest, quin ea, quam scriptis memorârunt, eadem sit, atque ea, quam, nominibus duntaxat diversam, HUXAMUS *, FOTHERGILIUS †, CULLENUS ‡, aliique recentes auctores, fusiùs, distinctiùs, et distributiùs prosecuti sunt.

IV. *Synanche maligna* in HISPANIA anno, post CHRISTUM natum, millesimo sexingentesimo decimo, primùm, ut ferunt LUDOVICUS aliique auctores, apparuit. Indè, per insulas MEDITERRANEI MARIS, præcipuè SICILIAM, pestiferè vulgata est. Sex post annos, quàm in HISPANICOS ingruerat, NEAPOLITANOS invasit; atque, per viginti annos continuos, per quos inter eos pervagata est, multos ex iis, qui incidissent, absumpsit. BRITANNOS, non ante



* Vid. HUXAM. *On the Ulcerous Sore Throat.*

† Vid. FOTHERGIL. *On the Ulcerous Sore Throat.*

‡ Vid. CULLEN. *First Lines*, Vol. I. pag. 172.

annum a Christo nato millesimum septingentesimum trigesimum nonum, percepit. Tum primùm eos corripuit; et, septem post annos, Londinii, ut literis prodidit Fothergilius, auctor bonus in primis, per biennium, pestifera grassata est.

SIGNA.

## SIGNA.

V. *Synanche maligna* non sparsim homines adoritur; sed, tanquam pestis, ministeriis invicem et contactu vulgatur. Ei infantes et pueri, præ adultis et ætate firmatis, opportuni sunt; fœminæ, præ maribus; corporibus infirmi et imbecilles, præ firmis et validis. Nihil autem ex his perpetuum esse, non ignorare oportet.

VI. Decedente autumno aut ineunte hieme, potiùs et lethaliùs ingruit *synanche maligna*, quàm vere aut æstate; propterea quòd, præ æstivo calore, relaxata hominum corpora aptiora fiunt, quæ pestiferis morbis corripiantur, correptaque pereant; et quòd gravitate etiam cœli autumnalis,

autumnalis, contagio, qua, tanquam ex semine, nascitur hic morbus, alitur et viget.

VII. Quidam opinantur, hominum corpora opportuna esse, quæ semel tantùm *synanche malignâ* percipiantur ; at, putamus, perperam, cùm præsertim auctores graves, GREGORIUS imprimis, propriâ experientiâ docti, eundem hominem compluries percipere, certiores nos faciant.

VIII. Incipiente *synanche malignâ*, æger frigescit, horrescit, rigescit, anxius est, nauseat, vomit, aliisque febris signis exercetur. Animo semper demisso est ; et, cùm, recto corporis trunco, animâ vel deficiat, vel propè sit ut deficiat, recumbere mavult. Faciei suus non constat color. Oculi, sanguine suffusi, illachrymantur. Simul gravitas præcordiorum est ; colli rigiditas ; vocis asperitas.

IX. Interea fauces malè se habent. Primùm, inflammatione captæ, rubent, et aliquantùm tument; at non usque eò, ut obstent, quò minùs alimentum devoretur. Haud multò autem pòst, obsidentur crustulis albulis, cineraceis, latè serpentibus, quarumque complures in unam coalescunt. Pòst paulò, crustulæ, a suppuratis partibus subjacentibus resolutæ, decidunt; et ulcera fœda, livida, persæpe nigricantia, inspicientium oculis sese offerunt.

X. Eodem tempore destillat de naribus humor adeò acris, ut et has et labra exasperet, imò etiam haud raro exulceret; atque, præ acri humore destillante de ulceribus in ventriculum et intestina, alvus, præsertim infantum qui exspuere nesciunt, præcipiti exinanitione exhauritur.

XI. Febris interim perstat et ingravescit. Arteriæ exiliter, celeriter, imbecilliter, et inæ-

qualiter

qualiter moventur; præcipuè vesperè, quando febris, præquam manè est, multùm intenditur. Musculi, qui voluntatis jussa exsequi solent, muneribus fungi nequeunt. Simulque tanta tarditas et gravitas in sensibus sunt, ut ægrotus haud raró mente non constet, et sopore obruatur.

XII. Secundo ab initio adversæ valetudinis die, nonnunquam aliquanto seriùs, cutis, primùm faciei deinde colli tum totius paulatim corporis, papulis seu varis rubris, serpentibus, vix eminentibus, mox coalescentibus, decolorari incipit. Præ cæteris autem partibus, his papulis rubent brachia, et digiti quoque, qui haud raró etiam rigent et tument.

XIII. Papulæ, quibus sic (XII.) efflorescit cutis, neque certo tempore apparent; neque, in certum, manent; neque, profectò, in omnibus ægrotis æquè numerosæ sunt. Sed, quamobrem

rem in his adeò varietur, luculenter explicare non possumus. Hoc, neque amplius, novimus; has papularum varietates variis ægrotorum corporum et cœli conditionibus, aliqua saltem ex parte, effici.

XIV. Per quatuor plerumque dies papulæ perstant; deinde a cute, squamularum similitudine, resolutæ decidunt. Neque autem provenientibus papulis neque decidentibus febris et alia signa finiuntur, aut etiam levantur.

XV. Urgente *synanche malignâ*, urina initio tenuis plerumque est, pallida, et cruda; sed, haud ita multò pòst, rubra fit, interdum subflava.

XVI. Facies frequentiùs tumida est, et rubra; at nonnunquam pallida, et ejus lineamenta, contra consuetudinem, adducuntur. Glandulæ parotidum, necnon maxillares, brevi inter-

dum tument, adeò ut haud multum absit, quin ægrum strangulent.

XVII. Tertio ferè die vel quarto, si multus sudor corpore æqualiter toto oritur; si urina fit turbida, et in ea furfuracea quædam subsidunt; si sputum copiosum editur; sique papulæ, a summa cute resolutæ, decidunt, et, his decidentibus, febris vel desinit, vel saltem certè se inclinat: tum arteriæ validiùs et ordinatiùs moventur; resolutæ a faucibus crustulæ decidunt; ulcuscula, quæ, his decidentibus, patefiunt, rubescunt, sicut ea quæ inclinant ad sanitatem; anima faciliùs reciprocatur; oculi, antea languidi et graves, vegeti fiunt et acres; et, ne multis, omnia ægrum vel convalescere, vel propè esse ut convalescat, ostendunt.

XVIII. Sin, eodem ferè tempore, æger perhorrescit; si papulæ, quibus rubescit summum corpus, subitò recedunt, vel hoc ex rubro livi-

dum

dum fit; si, quod faucibus destillet, acre adeò id est, ut internam asperæ arteriæ tunicam eò usque peredat, ut frustula hujus unà cum sputo extussiantur; si pallida limpidaque urina est: tum pulsus arteriarum fiunt debiles admodum, et frequentes; calida, aridaque cutis; spiratio difficilis; languescunt, et caligant oculi; ægrum sopor opprimit; facies interdum, et corporis extrema, frigidum lentumque sudorem habent; æger singultat; livida quædam, et odore fœda, infrà transmittit præceps alvus; et, quid multa? omnia portendunt, in eo esse ægrum, ut moriatur.

XIX. Quibus *synanche maligna* lethalis sit, ii tertio sæpe die, nonnunquam seriùs, at plerumque ante septimum ab adversæ valetudinis initio, mortem occumbunt.

## CAUSÆ REMOTÆ.

XX. Signis (v.—xviii.) narratis, ad causas remotas transeundum est. Ex his quædam, proclives ad *synanchen malignam* homines faciunt; quædam, quæ unica est, jam proclivibus hanc concitat. Antè de illis dicemus; deinde de hac.

XXI. Proclivitas in hunc morbum, in laxitate quadam corporis et debilitate consistere videtur. Hinc patet, quamobrem infantes et fœminæ huic magis obnoxii sint, quàm adulti et mares. Infantes enim præ tenera ætate, fœminæ ob laxiorem corporis compagem, irritationi, quàm adulti et mares, multo opportuniores sunt; ideoque

eoque aptiores, qui grassantibus pestiferè morbis corripiantur et pereant.

XXII. Corporis autem laxitas et debilitas, quæ opportunos anginæ malignæ homines reddunt, et, præ quibus, etiam adulti et mares apti haud raró existunt in quos hæc ingruat, persæpe ex aliis causis, quàm infirmitate teneræ ætatis et muliebris sexûs, oriuntur.

XXIII. Ex his (XXII.) causis præcipuæ sunt, labor vehemens; alimentum nimis parcum, vel parùm valens; morbi prægressi; magna sanguinis aut alvi profusio; frequens ebrietas; frequens VENERIS consuetudo; turbati animi motus; longa vigilia; frigus; ignavia; aliaque, quotquot sint, quæ corpora nostra, seu rectà seu haud rectà, relaxant et debilitant.

XXIV. Causa

XXIV. Causa, qua *synanche maligna* concitatur, contagio specialis est. Hujus verò, haud ſecùs ac earum, ex quibus alii morbi pestiferi oriuntur, origo et natura medicis hactenus latuerunt, forsitanque semper latebunt.

## CAUSA PROXIMA.

XXV. Causa, ex qua, tanquam communi trunco, omnia hujus morbi signa nascuntur, pariter atque ea, ex qua signa aliarum febrium, obscurior est, quàm quæ a nobis animo comprehendi possit. Multis perlectis et inter se comparatis, quò hanc rem clariùs intelligeremus, adducti sumus, ut CULLENO opinione accederemus; qui contendit, contagionem, qua hic morbus concitatur, pariter atque eam, qua febres pestilentes vulgantur, nervorum genus malè afficere.

XXVI. Hanc (XXV.) opinionem eo libentiùs accipimus, quòd debilitas maxima, horror, nausea, vomitus, anxietas, præcordiorum gravitas, aliaque febris mala, quibus *synanche malignâ* correpti premuntur, verisimillimam reddunt.

DIAG.

## DIAGNOSIS.

XXVII. Cùm, ut inter omnes convenit, nihil tam ad honorem medicorum, quàm ad ægrorum salutem, plus conferat, quàm accuratè morbos internoscere, quorum signa quædam communia sint; hìc loci, haud alienum erit paucis dicere, quibus notis *synanche maligna* aliis morbis dignoscatur, quibus cum ea quorundam signorum similitudo intercedat.

XXVIII. Quidam putant, *scarlatinam*, præcipuè *anginosam*, a SYDENHAMO descriptam, et *synanchen malignam* de qua agimus, utcunque signis conveniant, genere tamen prorsùs discrepare. Non autem nobis videtur, esse, quamobrem horum opinioni accederemus; cùm præser-

tim

tim GREGORIUS, auctor ex ingenio clarus, et fidus in primis, duntaxat varietates esse, seu gradus, ejusdem morbi existimet.

XXIX. Quam verò ob rem, idem morbus nunc mitior sit, nunc gravior; vel quare in his ægris cutis paucioribus papulis tanquam efflorescat, in illis pluribus; vel, denique, cur fauces modò gravissimè laborent, modò leviter, modò haud omnino; explicare, profectò, in primis difficile est: at haud tamen difficiliùs, quàm exponere, quamobrem ex eadem contagione *variolæ*, in illis ægris paucissimæ, mites, et discretæ sint; in his verò numerosissimæ, malignæ, et confluentes.

XXX. *Synanche* quoque *malignæ* incipienti quædam signorum communitas est cum *synanche tonsillari*. Ab iisdem enim ferè signis incipi-

unt, dolore, nempe, et rigiditate colli, atque faucium inflammatione.

XXXI. *Synanche* verò *tonsillari* urgente, devorandi dolor et difficultas, quàm dum urget *maligna*, vehementiora sunt. Quinetiam, hæc contactu vulgatur, atque in impuberes et debiles, præ adultis et robustis, ingruit: illa frigore concitatur; atque in adultos et robustos incursat, præ infantibus et infirmis.

XXXII. Porrò, faucium dolor, quem movet *tonsillaris*, admodum acutus est; et, illinc ad aures identidem perveniens, eas intra se ipsas sonare facit: *maligna*, præter lumborum dolores, et dolorem atque tumorem quoque digitorum, quos concitat, alia plurima et graviora mala secum affert, quibus *tonsillari* dignoscatur; maximam, putà, debilitatem, soporem, delirium, ulcerum et aspectûs et odoris fœditatem, halitum

ipsum

ipsum oris fœtidum, diarrhœam modò, modò suffocationis discrimen; demumque, persæpe ipsam gangrænam, pessimum sanè malum, post quod inceptum, æger ex media morte ferme nunquam reservatur.

## PROGNOSIS.

XXXIII. Diximus (XXVIII.—XXXII.) de notis, quibus *synanche maligna* internoscitur ab aliis morbis, quibus cum ea signa quædam communia sunt; nunc ad eas transeundum est, quæ nos vel spe consolentur, vel metu terreant.

XXXIV. Periti medici est, nihil de morbo tam gravi temerè et inconsideratè præsagire. Fieri enim potest, ut hoc implicatis multa, præter expectationem, eveniant. Namque multi, quos *synanche maligna* in extremum adduxit discrimen, ex faucibus orci, præter spem, erepti sunt; multos, qui ex omni jam periculo effugisse

fugisse visi sunt, improvisa vis lethi rapuit.

XXXV. Quæ signa bona, quæ mala sint, suprà (XVII.—XVIII.) adeò fusè diximus, ut, hìc loci, tantùm opus sit, antè dicta in memoriam revocare.

XXXVI. Mali igitur morbi signa sunt, febris vix inclinans nedum remittens; ulcera livescentia, vel, quod pejus est, nigrescentia; anima fœtida; maligna vis grassantis morbi; ægri tenera ætas, aut imbecillitas; vomitiones frequentes; quæ alvus infrà transmittat, ea liquida, et fœtida; emortuæ ferè vires; delirium; imminens suffocatio; gangræna.

XXXVII. Mitioris, contrà, morbi indicia, sunt ulcera faucium rubescentia; nulla halitûs, aut eorum quæ infrà supràve erumpunt, odoris

fœditas;

fœditas; febris remittens; animus haud demissus; rediens appetitus, et conciliatus somnus; a summa cute resolutæ squamulæ, triduo quatriduove, decidentes; et simul lenis totius æqualiter summi corporis sudor, cæterorum levamen signorum afferens.

## RATIO MEDENDI.

XXXVIII. Cæteras partes rei nostræ persecuti, ad utilissimam, *synanches* scilicet *malignæ* curationem, venimus, de qua etiam protinùs dicemus.

XXXIX. Quoniam *synanche maligna*, ferè per omnia, præter inflammationem internarum faucium, et papulas quibus cutis tanquam efflorescit, *typho* assimilis est; illi iisdem ferè medicamentis, quibus huic, subveniendum est.

XL. Quum omnia mala, quibus *synanche maligna* miseros homines opprimit, ex debilitate, tanquam communi omnium parente, nascantur; in eam pugnandum est medicamentis, ex

iis

iis quæ sustentant vires, atque obstant, quò minùs humores vergant ad putredinem. Quæ hæc sint, paucis dicendum est, præmissis antè quibusdam de missione sanguinis, munditiâ, et vomitoriis.

XLI. *Sanguinis missio.*—Ante autem omnia, initio morbi, boni et prudentis medici est, animadvertere, an ægrotus sanguine et robore vigeat; inflammatio an eam, quam *synanche tonsillaris* solet movere, simulet; attollantne se arteriæ, an submittant, itemque ordinatè, necnè, se moveant: et, si per omnia ita, sanguinem mittere; sin contrà, hoc manum abstinere,—"nam, ut sanguis semel missus nunquam in venas redit, sic neque vires cum illo amissæ in variis morbis unquam refici possunt *."

XLII. *Mun-*

* Vid. GREGOR. *Conspect. Medicin. Theoret.* Vol. II. pag. 463.

XLII. *Munditia.*—Antè quoque, non ignorare debet medicus, ægroti munditiæ, in omnibus rebus, consulere oportere. Hunc in finem, præcipere debet, ut ægri fæces et urina, ut primùm reddita, submoveantur; ut, haud longis temporibus interpositis, ægri indusium novetur, atque componatur lectus novatis ad omnia stragulis; denique, ut, per apertas fenestras, conclave liberum salutaris aëris perflatum habeat.

XLIII. *Vomitoria,*—initio *synanches malignæ*, interdum admodum opitulantur. Ventriculum enim sordibus, quibus gravatur, exonerant; et sanguinem quoquoversum in extremum corpus distribuunt; et sic halitum cutis, morbo suppressum, denuo movent, et aliis forsitan modis proficiunt.

XLIV. Hujus (XLIII.) generis, præparata ex stibio, cæteris plerumque anteferuntur; præ-

cipuè autem *calcareus stibii phosphas.* Hic, si modò, ineunte *synanche maligna*, assumatur, hanc vel, ex toto, in fugam vertit, ut, in valetudinario EDINBURGENO, bis, præcipiente GREGORIO, me teste, fecit; vel multo leviorem reddit.

XLV. Quòd si vel ætas ægri, vel alia quælibet causa, obstet, quò minùs stibio *synanche malignæ* subveniatur, ad alia vomitoria leniora decurrendum est. Horum longè optimum *ipecacuana* est; quippe quæ ad omnem ætatem, utrumque sexum, et omnes ægrorum proprietates, accommodari possit.

XLVI. Præmissis (XLI.—XLV.) necessariis, quæ pertinent ad missionem sanguinis, munditiam, et vomitum; nunc redimus ad id (XL.) genus medicamentorum, unde huc declinavit curatio.

XLVII. *Roborantia*,—quorum efficacissimum est *cinchonæ* cortex, *synanche malignâ* correptis multùm proficiunt. Hic cortex ipse, si ventriculo conveniat, in pulverem levissimum contritus, assumendus est; et, quo plus et sæpius, eo plerumque melius. Sin ventriculo, ut interdum, pulvis alienus sit, præparatum quid ex eo, quod magis idoneum sit, ejus vice adhibendum. Quòd si nullum, ex eo præparatum, imbecillo ventriculo sedet; tum aqua decocta ex eo, cui adjectæ sunt paucæ liquidi opii guttulæ, in alvum affatim et subine subter danda est.

XLVIII. Eodem tempore, quo *cinchonæ* cortex adhibetur, oportet vinum assumere; sed cautâ et parcâ manu, quippe quia nimius hujus usus ægro multum detrimenti affert. Deficiente vino, ægro proderit, vice ejus, liquores stillatitios multâ aquâ dilutos, et acidis fructuum admixtis gustatu gratè acidulos, subinde bibere. Non-

nunquam etiam acida, ex iis quæ fodiuntur e terra, parata, multùm proficiunt.

XLIX. *Aëri frigido*,—ex quo correpti *typho* tantum utilitatis percipiunt, *synanche malignâ* impliciti cautissimè objiciendi sunt; propterea quòd fieri potest, ut nimio frigore papulæ ex cute subitò recedant, et ex earum recessu ægri multum detrimenti capiant.

L. *Exulceratoria*,—a quibusdam feruntur, iis hoc morbo correptis multùm proficere. Veruntamen, propter irritationem quam movent, et quia, præ magna ægri debilitate, pars, quam peredunt, ad gangrænam apprimè proclivis est, satius erit, nostrâ opinione, iis ex toto abstinere; nisi pessima signa, spirandi nempe difficultas et colli tumores, sic urgeant, ut miserandus æger in eo sit, ut moriatur.

LI. *Alvus ducenda*—est lenioribus emollientibus

entibus in eam ex inferiore parte inditis; et, quoties opus sit, etiam movenda mitioribus catharticis ex superiore, salibus nempe mediis, *manna*, oleo cicino, radice PONTICA, hisque consimilibus.

LII. *Opio et astringentibus*—diarrhœæ, qua, sub finem morbi, æger exhauritur, occurrendum est.

LIII. *Gargarizandæ fauces*—sunt, sub finem morbi, ne gangrænâ capiantur, aquâ decoctâ, vel, quod melius, aquâ frigidâ ex *cinchonæ* cortice; aut aquâ, in qua macerata aliquandiu sunt folia rosarum rubrarum; aut vino LUSITANIO aquâ commixto; aut, denique, *acido sulphurico* eâdem diluto.

LIV. *Vapores aquæ tepidæ*,—initio præsertim morbi, identidem inhalare; et devorare, sub finem, linctum ex *ribibus*, fortasse non inutile esset;

set: illo enim opportunè facto, suppurationi forsan obstaretur; hoc, gangrænæ.

LV. *Potus*—ex iis debet esse, quæ obstant, ne accedant putredo et gangræna. Quæ autem hæc sint, non opus videtur nominatim memorare.

FINIS.